



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. III. Vtrum liceat se circumcidere, mortificationis gratiâ, vel ad Christi
imitationemß

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

absque ullo merito vel dispositione suscipientis: Sed Deus parvulis Sacramentum circumcisionis suscipientibus, conferebat gratiam, cum per tale Sacramentum eos à peccato originali mundaret, ut supra ostensum est; idque fiebat absque ullo merito aut dispositione illorum, cum ob defectum libertatis & usus rationis, ad gratiam non possent se disponere, vel illam promereri: Ergo circumcisio conferebat gratiam parvulis ex opere operato passive. Adultis vero nullo plane modo gratiam ex opere operato conferebat, quia ut ad susceptionem & praesentiam illius Sacramenti justificarentur, debebant habere dispositionem proportionatam ad gratiam quam recipiebant, unde illud non habebat vim faciendi ex attrito contritum, sicut baptisimus & penitentia in nova lege, nec gratiam ultra dispositionem suscipientis conferebat. Nec propterea tale Sacramentum adultis erat inutile, illos enim excitabat ad eliciendum actum fidei in Christum venturum, quo justificabantur, atque ita illis utilis erat ad gratiam consequendam.

Ex dictis facile intelliguntur & conciliantur quaedam Patrum testimonia, quae specie tenus videntur inter se pugnantia: aliqui enim videntur asserere parvulos Hebraeorum circumcisione fuisse justificatos. Ita Augustinus, seu Author libri hypognosticon cap. 5. ubi ait: *Circumcisio octava die, Baptismi gratiam dabit, & parvulus circumcisione fraudatus, delicto originali non caruit.* Idem sentire videtur Gregorius Magnus lib. 4. Moral. cap. 1. ut habetur de consecrat. dist. 4. cap. 5. Can. *Quod autem* ubi dicit: *Quod apud nos valet aqua Baptismatis, hoc egit pro illis qui de Abrahâ stirpe prodierunt, mysterium circumcisionis.* Item Innocentius III. in cap. *Maiores*, de Baptismo, asserit Baptismum circumcisioni successisse; per illam enim originale remittebatur peccatum, licet ad regnum celorum non perveniretur. Alii oppositum videntur docere: Tertullianus enim libro contra Iudeos, paulo post principium: *Circumcisio* (inquit) *in signum non in salutem dederat Deus populo Israel*: Cyprianus vero lib. 1. contra Iudeos cap. 8. *Nonne Melchisedech, & alii qui non erant ex semine Abrahâ, fuerunt iusti sine circumcisione?* nam circumcisio erat tantum signaculum seminis Abrahâ, sed non iustificabat. Similia docent Justinus, Irenaeus, Epiphanius, Chrysostomus, & alii. Verum hæc (ut dixi) ex principiis jam statutis facile conciliari possunt: primi enim solum volunt, quod circumcisio dederit parvulis gratiam ex opere operato passive, seu quod Deus ad praesentiam illius Sacramenti, gratiam contulerit parvulis Hebraeorum, quâ à peccato originali mundarentur. Alii vero solum denegare intendunt circumcisioni, & aliis antiquæ legis Sacramentis, virtutem gratia productivam, qualis reperitur in Baptismo, & aliis Sacramentis novæ legis, unde dicunt quod Sacramenta antiqua erant tantum umbræ & figura, ac veluti specula quæ vulnus ostenderent, sed nullo modo sanarent: non negant tamen quod Deus ad illorum praesentiam, intuitu passionis Christi future, quam figurabant, & significabant, gratiam conferret, cum de ratione Sacramenti, seu signi præfici gratia, sit quod vel gratiam instrumentaliter producat, vel saltem quod ad ipsius praesentiam à Deo producat.

ARTICULUS III.

Verum liceat se circumcidere, mortificationis gratia vel ad Christi imitationem.

Ratio dubitandi est, quia Christiani Arabes, qui vulgò Abassini dicuntur, circumcisionem observant, non tanquam ceremoniam legis Judaicæ, sed ob Christi imitationem, ut ut corporalem ejus similitudinem gerant; etiam facere dicuntur in memoriam stirpis suæ, asserentes se oriundos esse ex Abrahâ, & regem suum ex familia David: Sed hic tum Abassinorum nondum ab Ecclesia damnatus est. Ergo videtur licitum, simul cum Baptismo accipere circumcisionem, non tanquam ceremoniam legalem, sed ex fine cultus religionis, & ob Christi imitationem.

Confirmatur: Quando ceremonia legalis habet in se aliquam moralitatem, potest etiam moralitatem usurpari in Ecclesia: Sed circumcisio, quatenus fuit suscepta à Christo Domino, continet aliquam moralitatem, nempe corporalem similitudinem, & memoriam Christi Domini: Ergo præcisè ob eam moralitatem, non est inconveniens usurpari in nova lege.

In hujus difficultatis resolutione patrem alicuius tenent Cajetanus in hac parte quæst. 37. art. 1. Nazarius ibidem, Medina 1. 2. quæst. 103. art. 4. ad 5. Lor. 2. 2. sect. 1. disp. 2. membro 1. Vericelli Tract. de Apostolicis institutionibus quæst. 23. num. 10. & Guillelmus de Ginaldus in suo Calvino Turcino lib. 2. cap. 9. ubi hæc scribit: *Abassini christiani quidem, cum vera Christianorum fide, infantes baptizant, & circumcidant, in signum nobilitatis antiquæ, nullo meriti, aut iudaicæ perfidiae respectu; qui posito, nollem eos propter circumcissionem magis damare, quam si propter medicinam causam asphyxiam carnem porcina, quam tamen lex Moysa præscribat.*

Oppositam sententiam defendunt S. Antonius, Sylvestre, Armilla, Soto, Raynecius, Navarrus, Suarez, Vazquez, Delgado, & alii, quos citat & sequitur Martinez à Prado in scholiis ad hanc questionem, contendentes, talem circumcissionem Abassinorum esse illicitam, nec posse ex bono fine honestari. Cui sententia ut veriori aut probabiliori subscribens,

Dico breviter: non licere Aethiopibus, seu Abassinis, se circumcidere, mortificationis gratia, vel ad gerendam corporalem cum Christo similitudinem.

Probat: In circumcisione duo considerari possunt, nimirum ceremonia legalis, quam dicit de formali; & lesio corporalis, quam de materiali importat: Sed illicitum est vel se conformari Christo in aliquo ex illis. Ergo velle circumcidi ad imitationem Christi, illicitum est. Minor quantum ad primam partem patet, illicitum enim est modo legalis observare, etiam ob bonam intentionem, ut enim ait D. Thomas in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 5. quæstiunc. 3. ad 3. *Legalia sunt tempore facta, fuerunt bona; tempore autem non sunt observata, sunt facta mala, & idcirco non sunt bona.*

ARTICULUS PRIMUS.

An Confirmatio sit verum & proprium novæ legis Sacramentum, & quandomodo à Christo fuerit institutum?

§. I.

Prima pars quesiti resolvitur.

Dico primò: Ritus ille qui in Ecclesia Catholica Confirmatio appellatur, est verum novæ legis Sacramentum.

Conclusio est certa de fide, ac definita in Florentino, in Decreto unionis, & in Tridentino sess. 7. can. 1. de Confirmatione, contra Lutheranos & Calvinistas, qui calumniantur ejus ceremoniam quam Confirmationem appellamus, nullam fieri in Scriptura mentionem, imò nec in Patribus trium primorum sæculorum, sed eam fuisse inventam & introductam à Melchiade Papa anno Christi 311. Addunt quod, si aliqui Patres quarti & quinti sæculi eam vocarunt Sacramentum, locuti sunt de Sacramento improprie dicto, qualiter omnes ceremonie Ecclesiæ possunt vocari sacramenta. Ut hic error confutetur.

Probat primò conclusio ex Scriptura: Actuum 8. Petrus & Joannes missi ad Samaritanos jam baptizatos, ut Spiritum Sanctum illis conferrent, dicuntur super eos manus imposuisse, & additur ex tali impositione manuum continuò Spiritum Sanctum illis fuisse collatum. Item cap. 19. dicitur quod cum Paulus eos qui baptizati erant baptismo Joannis, jussisset iterum baptizari, manus eis imposuit, & Spiritus Sanctus in eos descendit. Ex quibus sic possumus arguere: Ceremonia illa in manuum impositione consistens, per quam dicuntur Apostoli Spiritum Sanctum baptizatis contulisse erat verum Sacramentum: Sed aliud esse non poterat, quam illud quod in Ecclesia Catholica Confirmatio appellatur. Ergo ritus ille qui in Ecclesia Catholica Confirmatio appellatur, est verum novæ legis sacramentum.

Major probatur. Signum sensibile gratiæ sanctificantis, in actuali exercitio ipsius conferendæ, & à Deo, sive Christo institutum, est verum Sacramentum in nova lege: Sed ceremonia illa quatuor ista habebat: Constat enim in primis quod esset signum sensibile. Secundò in actuali ejus exercitio conferebatur infallibiliter gratia, quia dabatur infallibiliter Spiritus Sanctus. Tertiò illud signum erat ad hoc à Deo, sive Christo institutum, tum quia incredibile est Apostolos hac ceremoniam tam communiter fuisse usos ad conferendum Spiritum Sanctum, nisi fuisset à Christo instituta: tum etiam quia Apostoli conferre non potuissent propria autoritate Spiritum Sanctum tam certò & infallibiliter, in usu talis ceremoniæ. Minor etiam contra hæreticos evidenter demonstratur: Illi enim duo tantum Sacramenta agnoscunt, Baptismum scilicet & Eucharistiam: At illa impositio manuum Apostolorum, manifestè non erat Eucharistia, sed nec poterat esse Baptismus, quandoquidem fiebat post Baptismum, & jam baptizatis dabatur: Ergo si erat verum Sacramentum (ut jam ostensum est) non poterat esse aliud, quam illud quod in Ecclesia Catholica Confirmatio appellatur.

Respondent primo Hæretici, illam manuum impositionem, fuisse tantam ceremoniam quamdam

ione fieri non possunt bene. Probat verò quoad secundam: nam conformitas ad Christum in illa corporali lésione, nullius virtutis honestatem habet, neque in aliquem Christi honorem cedit, sed est cultus omnino superstitiosus & vanus; alioquin etiam liceret perforare manus & pedes, ad imitationem Christi: insipiens etiam modus mortificandi carnem est, se circumcidere, cum illicitum sit; ob mortificationem graviter ledere corpus: Ergo stultum est, ob imitationem Christi, aut carnis mortificationem, velle pati & sibi infligi lésionem illam corporalem, quam circumcisio de materiali importet.

Addo quod, hæc circumcisio scandalum præbet fidelibus, nam speciem habet mali, cum illi qui eam exercent, judaizare videantur. Unde Medina qui 1. 2. loco suprà citato, in priorem sententiam inclinaverat, in hac parte quæst. 37. art. 1. nostram amplectitur; & similiter Vericelli tomo 2. tract. 15. quæst. 218 reerrat sententiam quam tomo 1. docuerat, ait enim: *Hic tamen non obstantibus, nunc re maturius consideranda, dico non esse ullo modo tolerandam, quia quidquid sit de sine circumcisiõis huius, tamen præbet scandalum toti Ecclesiæ Catholice, quia non est manifestum motivum nobilitatis.* Denique propositum hoc dubio à Patriarcha Æthiopiarum Sacre Congregationi Inquisitionis, an scilicet Abassinis liceat se circumcidere? habita est Congregatio Patrum Qualificatorum Sancti officii die 30. Julii anno 1637. qui responderunt: *Non esse quocumque preteritu tolerandam circumcisiõem, & Pastores debere corrigere subditos, quantum possunt, contumacesque arcendos esse à communione.* Ex quo patet Ecclesiam Romanam ritum illum Abassinorum nequaquam tolerare.

De aliis preparatoriis ad Baptismum, de quibus agit S. Doctor quæst. 71. ut de catechismo, exorcismo & aliis, nulla est difficultas, quæ ex sola lectione textus D. Thomæ, facile non evinceretur. Unde, his omisiss, sit

DISPUTATIO VI.

De Sacramento Confirmationis.

Ad quæst. 72. D. Thomæ.

Cum in Ecclesia Christi Sacramentum Confirmationis secundum locum ordine administrationis habere soleat, ut nimirum ad id quod perfectissimum est, scilicet ad Sacramentum Eucharistiæ, Baptismate & Confirmatione, reducti gradibus quibusdam, & congruâ preparatione ascendamus, recta etiam doctrinæ methodus exigit, ut Tractatum de Baptismo immediate sequatur disputatio de Confirmatione, in qua de huius Sacramenti existentia, essentia, effectibus, subjecto, & ministro dicemus.